



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118332**

§. 107. Burgundiæ Dux prælio nactus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

a loco, ubi Campo-Bassius fugitivos præ-  
 stolabatur; hinc una omnes, quotquot eo  
 venerant, capti, trucidati, vel exspoliati  
 sunt. Tum vero similis ruinæ strages  
 erat, pluresque in fuga, quam in ipso  
 prælio ceciderunt, ac non pauci eorum,  
 qui furentium gladios effugerunt, semet-  
 ipsos in anem præcipites dederunt, ibi-  
 demque misere perierunt.

## §. CVII.

*Burgundiæ Dux prælio necatus.*

Commiffa est hæc pugna die quinta Ja-  
 nuarii, quæ erat Dominica, ac vigi-  
 lia Ephiphaniæ Domini anno millesimo  
 quadringentesimo septuagesimo septimo,  
 quamvis Comminæus eam ad annum  
 Domini millesimum quadringentesimum  
 septuagesimum sextum revocet, nec abs-  
 re, si novi anni auspiciam a Mense Mar-  
 tio repetatur, pro usitata illius temporis  
 computandi ratione. Inter præcipuos  
 hoc prælio cæsos recensentur Joannes de  
 Rubemprato, Contajus, Croyus, Chimay, *Rubemprà*  
 & de Vetrivilla. Capti fuere Olivarius *Vieuvilla*  
 Marchianus, & Lalinus unacum Comite  
 Nassoviensi, Roetlingensi Marchione,  
 Contaji filio natu majore, juniore Comi-  
 te de Montecuto, utroque Notho Bur-  
 gundiæ, plurimisque aliis Nobilibus. I-  
 pse Burgundiæ Dux in prælio occubuit;  
 cujus

Sæcul. XV.  
A. C. 1476.

cujus tamen mors aliquamdiu incognita fuit, ignoratumque, quod fatum subierit, donec altera post pugnam die Campo-Bassius quemdam Ephebum ad Lotharingiæ Ducem conduceret, qui Burgundum fuisse trucidatum testatus, cadaveris locum monstrabat. Corpus ejus sedulo quæsitum, recognitumque fuit, atque omnibus vestibus exspoliatum, ventre in terram projecto supinum jacebat, necnon glacie frigoreque concretum reperiebatur. Obiit tribus vulnibus confossus; quippe securis ictu maxilla per medium dissecta erat, lanceæ autem cuspide utraque coxa hinc inde transfixa viscebatur, ac denique hasta in anum altius descendente faucius erat.

*Commin. l. 5.*  
*cap. 8. ad fin.*

Refert Comminæus, suorum nonnullos vidisse Ducem ex equo in terram delabi, nec tamen, cum ipsimet jam capti essent, eidem auxilium ferre potuisse, mox autem illum in eorum conspectu miserum in modum fuisse trucidatum; turmatim enim quosdam confluisse milites, atque ab eis minime cognitum fuisse jugulatum, ac demum vestibus spoliatum. Observant alii, Burgundum occubuisse in loco nonnisi centum passibus distante ab illo cubili, in quo olim de Connestabili S. Pauli Gallis in mortem tradendo mandatum proprio suo chirographo signabat. Mortuus est Anno ætatis

tatis suæ quadragesimo sexto, Principatus circiter decimo. Ejus corpus Nance-  
 jum jussu Lotharingiæ Ducis delatum, more Principum in sublimi strato collocatum  
 fuit, atque in atrio nigro-holosericis au-  
 læis ornato expositum. Scribit Mecerajus, *Mecer. Sy-*  
 Lotharingium, cum ipse nigrum habi- *nops chronol.*  
 tum indutus cadaver inspiceret, gestasse *hist. Lud XI*  
 Barbam auream veterum, ut ajunt, He- *tom. 3. in 12.*  
 roum more, atque aspersa aqua benedi-  
 cta corpus Burgundi in primario Nancei ur-  
 bis templo sepeliri curasse. Ceterum a vul-  
 go, cui semper solemne vitium est nimia  
 credendi facilitas, multo tempore crede-  
 batur, Burgundum vivere, eumque e pu-  
 gna elapsum fuisse, atque acceptæ cladis  
 pudore compulsus in quadam eremo de-  
 litescere quam plurimi dicebant. Adde-  
 bant, quod Dux ex hac solitudine  
 non nisi post septem annos in pœnitentia  
 transigendos prodire decrevisset; quini- *Gaguin.*  
 mo complures in hac credulitate adeo *lib. 20.*  
 erant obstinati, ut nummos ingenti fœ- *Nauclev. ge-*  
 nore acceperint, ac tunc duplum redde- *ner. 50.*  
 re sponderint, quando eorum Dux re-  
 versurus esset. Hanc fabulam auxit no-  
 ta Ducis melancholia, & cujusdam Viri  
 fama, qui natione Suevus austeram vi-  
 tam agebat, & staturam ac voce Burgundo  
 haud absimilis erat.

§. CVIII.

P p

*Hist. Eccles. Tom. XXIX.*